

dientialem activam in rebus ipsis existentem, per quam efficere possunt supernaturalia opera, ut instrumenta Dei, ipso concurrente per auxilium vel concursum proportionatum effectui, et excedentem concursum debitum naturali virtuti creaturæ. Hunc modum dicendi indicavit D. Thom., in 4, distinct. 8, quæst. 2, artic. 3, ad 4, ubi sic inquit: *Sicut creatura inest obedientiæ potentia, ut in ea fiat quicquid Creator disposuerit, ita etiam, ut ea mediante fiat, quæ est ratio instrumenti.* Eandem rem docuit Cajetan. infra, quæst. 78, artic. 4, et indicavit Alexand. Alens., 4 part., q. 34, membr. 5, artic. 2, ubi solvens quoddam argumentum, inter alia sic inquit: *Cum ergo objicitur quod virtus creata non potest in aliquid, quod est supra communem naturam, dicendum, quod hoc forte verum est per se, habet tamen ut adjuta a virtute increata.* Hæc autem sententia non aliter probatur, nisi quia nullam repugnantiam involvit, et per se est verisimilis et credibilis, et illa posita, non admodum difficile expediuntur difficultates quæ in hoc negotio occurrunt. Primum enim, cum Christi humanitas sit res creata, et participatio primi entis, et illi subordinata, mirum non est quod sit in potentia obedientiæ activa ad agendum omne id ad quod fuerit per divinam voluntatem applicata, et quod illud vere ac proprie efficiat adjuta, seu elevata ad agendum per concursum specialem et supernaturalem, accommodatum hujusmodi potentiaæ obedientiæ, et hæc applicatio cum illo concursu speciali dici potest motio seu elevatio primi agentis. Deinde constat in rebus creatis reperiri potentiam obedientialem receptivam, ut in eis, vel ex eis, Deus faciat quicquid non implicat contradictionem; cur ergo non reperietur etiam potentia obedientiæ activa, ut efficiant, vel Deus per eas efficiat quicquid non repugnaverit ita fieri? Non enim involvit hoc ullam contradictionem, ut non potuerit Deus hoc modo creaturas instituere, et est major perfectio; sic enim magis ac perfectius subjicitur omnis creatura Deo, non tantum ad recipiendum, sed etiam ad agendum. Tertio, quia unum corpus sua quantitate non potest nisi unum locum reple, et tamen per potentiam Dei fieri potest ut repleat duo loca, nulla illi addita quantitate; et e contrario, cum duo corpora naturaliter simul esse non possint in eodem loco, facit Deus ut simul esse possint, non mutatis eorum quantitibus, nec raritate aut densitate, vel alia eorum dispositione. Si-

militer, licet anima natura sua informare non possit nisi corpus tantæ quantitatis, facere potest Deus ut det vitam corpori majori, et similiter ut una albedo informet duo subiecta; si ergo ad hæc omnia est potentia obedientiæ in rebus ipsis, cur ergo non erit ut ultra naturæ terminos agant? Ultimo, juxta hanc obedientialem potentiam eliciunt nostræ potentiaæ, intellectus, scilicet, et voluntas, actus supernaturales quoad substantiam, et interdum sine habitibus, cum divino auxilio, ut ex materia de gratia suppono. Et similiter juxta hunc modum intelligitur quomodo non sit actio sine virtute agendi, nam virtus agendi est hæc potentia obedientiæ activa applicata ad agendum cum proportionato concursu; si enim calor, juxta probabilem multorum philosophorum sententiam, est virtus ignis, et suo modo instrumentum ad producendam formam ignis, ex eo solum quod est facultas ejus connaturalis (quanquam hoc neque augeat, neque immutet caloris perfectionem), quid mirum quod humanitas sit virtus et instrumentum Dei ad efficienda divina opera, quatenus illi per hanc potentiam obedientialem subordinata est, et per concursum proportionatum ad nas actiones elevatur? Intelligitur etiam juxta hunc modum, quomodo duæ res, quæ ex natura sua non habent connexionem causæ et effectus, possint illam habere, etiam si nihil addatur causæ seu instrumento, quia, videlicet, secundum obedientialem potentiam capaces sunt illius dependentiæ et habitudinis, et per divinam voluntatem et concursum altera elevatur, ut sit instrumentum ad aliam efficiendam.

8. *Dubium.* — *Responsio.* — *Potentia obedientiæ quid sit.* — Quod si inquiratur quid sit in rebus hæc potentia obedientiæ activa, et quod objectum habeat, quasve actiones, respondetur non esse aliquid a rebus distinctum, sed in unaquaque re creata ipsamet entitatem per seipsam esse hanc obedientialem virtutem, seu potentiam ad agendum ut instrumentum Dei; itaque, sicut calor per se est virtus naturalis ad calefaciendum, ita etiam per se sit virtus obedientiæ ad agendum, verbi gratia, in spiritum; quæ ratio obedientiæ potentiaæ nihil addit entitati rei, sed includitur in essentiali conceptu entis creati. Extenditur autem ad omne id quod non implicat contradictionem ut tali modo fiat, et hoc est quasi adæquatum objectum ejus; cum enim hæc virtus instrumentaria sit,

et non agat nisi in virtute principalis agentis, pro objecto habet ipsummet effectum agentis principalis, ex ejus virtute et perfectione mensuranda est perfectio talis effectus seu objecti, et non ex perfectione instrumenti. Actio vero talis potentiaæ obedientiæ est ipsamet productio supernaturalis effectus, per quam pendet a tali instrumento, quæ actio eadem est cum actione principalis agentis, quatenus per tale instrumentum operatur, ut infra explicabo.

9. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed dicet aliquis: ergo unaquæque res creata habet hanc potentiam innatam ad efficiendas actiones miraculosas; ergo est absolute potens ad illas agendas. Respondetur hanc potentiam secundum se esse quidem innatam, quia non est nisi ipsa entitas rei; tamen, quia modus agendi per illam, et concursus ad hoc necessarius, nec naturalis est, nec rei debitus, ideo illa potentia, secundum se sumpta, est tantum remota, nec constituit rem ex natura sua simpliciter potentem ad sic operandum, sed proprie constituit capacem, ut elevari possit a Deo ad hujusmodi operandi modum. Et ideo, sicut potentia obedientiæ passiva non denominat rem absolute, sed in ordine ad Deum (non enim dicemus simpliciter materiam cœli posse separari a sua forma, licet in ordine ad Deum sit in potentia obedientiæ ad hunc effectum), sic etiam ab hac potentia obedientiæ activa non denominatur res simpliciter potens, sed in ordine ad Deum. Unde etiam obiter intelligitur quomodo humanitas, vel simile instrumentum, fiat potens ad miraculose operandum sine sui mutatione, vel additione ulla, solum quia per Dei voluntatem ita ad hoc ordinatur, ut habeat paratum specialem concursum, vel auxilium per quod elevatur et quasi applicatur ad agendum per hanc potentiam, quæ in re supponitur. Et quamvis nude sumpta non denominet rem potentem ad operandum, tamen ut jam applicata a primo agente, et habens paratum proportionatum concursum, præbet dictam denominationem, quia ut sic jam est veluti potentia proxima, habens omnia necessaria ad operandum.

SECTIO VI.

An et quomodo in rebus creatis sit aliqua vis activa obedientiæ, ut eleventur in divina instrumenta.

1. Sententia hæc de potentia obedientiæ activa instrumentorum Dei, quam superiori

sectione probavimus, et a sufficiente enumeratione eligendam duximus, ad defendendam communiorum ac veriorum doctrinam de physica efficientia humanitatis Christi, et aliorum instrumentorum Dei circa supernaturalia opera, nonnullis posterioribus scriptoribus ac Theologis displicuit, eamque nonnullis argumentis impugnare conati sunt, quæ hoc loco proponemus; et alia fortasse difficiliora; ante quorum solutionem, quid ipsi dicant, et quomodo rem hanc expediant, examinabimus, ex quo sententiæ nostræ majorem confirmationem et declarationem eliciemus; et tandem difficultatibus omnibus satisfaciemus, et obiter varia dubia, quæ per occasionem occurrunt, expediemus, unde non poterit sectio hæc non esse aliquantulum prolixior. Et ideo, ne legentibus fastidium pariat, eam diversis titulis et paragraphis subdividimus.

2. *Argumenta partis negantis proponuntur.* — *Argumentum primum.* — Primo itaque objiciunt, quia potentia obedientiæ non est aliquid positivum in creatura; ergo repugnat esse obedientialem potentiam, et esse activam. Patet consequentia, quia potentia activa vel nulla est, vel esse debet positiva; quia per illam constituitur agens in actu primo ad operandum, et ab illa pendet realiter effectus; non potest autem intelligi quod aliquid pendeat ab eo, quod nihil est positivum, sed negatio tantum, vel privatio. Antecedens patet, quia potentia obedientiæ passiva non est potentia positiva præhabens in sua potestate supernaturales effectus vel actus, alioqui nihil differret a naturali potentia; ergo solum est non repugnantia creaturæ, ut in ea fiat quod Deus voluerit; ergo multo minus potest esse in creatura potentia activa positiva, sed erit non repugnantia ut elevetur a Deo ad agendum, quæ, cum sit sola negatio, non potest esse potentia activa obedientiæ.

3. *Secundum.* — Secundo, vel hæc potentia obedientiæ activa, et activitas ejus est naturalis, vel supernaturalis: naturalis esse non potest, alioqui esset improporcionata ad effectus supernaturales, et consequenter esset impertinens, et sine fundamento. Neque etiam dici potest supernaturalis, nam hæc potentia, ut dicitur, non est aliquid superadditum naturæ, sed est congenita cum entitate uniuscujusque rei, imo re ipsa non est aliud ab ipsa entitate; fictitium autem est existimare aliquam supernaturalem potestatem

esse ex natura rei congenitam naturali entitati; nam virtus congenita et intrinseca unicuique enti non potest excedere gradum et ordinem talis entis.

4. *Tertium.* — Tertio, certum est creaturam non posse efficere supernaturalia opera ut instrumentum Dei, absque speciali concursu et auxilio ipsius Dei; igitur, vel hoc auxilium est tota virtus agendi creaturæ; vel supponit in ea inchoatam virtutem, et complet illam; vel denique supponit totam virtutem proximam ad agendum, solumque cum illa concurrat, ut causa prima cum secunda: ex his tribus membris secundum et tertium sunt improbabilia; ergo eligendum est primum, et consequenter dicendum est talem concursum Dei nullam supponere potentiam obedientialem activam, sed solum passivam ad recipiendam activitatem per concursum Dei. Minor quoad utramque partem probatur secunda ratione facta, quia illa potentia, sive inchoata, sive completa dicatur, et esse debet naturalis, et supernaturalis, quod implicat; naturalis quidem, quia congenita cum natura, et a Deo, ut auctore naturæ; supernaturalis vero, quia est ad effectus miraculosos et supernaturales, et consequenter ejusdem ordinis supernaturalis cum illis, quod maxime urget, si potentia illa completa dicatur, solumque requirere ad agendum concursum Dei proportionatum; nam, si talis est, ita comparatur ad actiones suas, sicut lumen gloriæ ad visionem Dei, vel sicut habitus charitatis ad suum actum; erit ergo plena virtus ac potentia supernaturalis, quam tribuere naturali creaturæ, et valde improportionatum est, nam confundit supernaturalem ordinem cum naturali, et ipsi naturæ plenam vim proximam tribuit ad supernaturalia, quod ad errorem Pelagii pertinet. Imo, etiam si potentia illa dicatur inchoata tantum, non videtur tutum eam tribuere creaturæ in ordine ad supernaturales actus, affirmando esse illi connaturalem; nam hoc etiam esset non parum favere errori Pelagii; quia ordo gratiæ bona ex parte reduceretur ad virtutem naturæ. Propter quod graviores Theologi censent, neque in intellectu, neque in voluntate nostra, esse activitatem aliquam, quam ex se habeant ad actus supernaturales, ut supernaturales sunt, sed totam provenire ab habitu vel auxilio supernaturali; rejiciuntque opinionem Cajetani, qui de visione beata, et a fortiori de cæteris actibus supernaturalibus, oppositum sensit.

5. *Quartum.* — Quarto, quia, si in creaturis est hæc potentia obedientialis activa, sequitur, quando per illam agunt, Deo tribuente accommodatum concursum, non esse instrumenta, sed causas proximas principales, quod esse plane falsum nemo negabit. Sequela patet, quia illa potentia obedientialis non procedit a Deo, ut auctore supernaturali, quia est congenita cum natura, et non fit per aliquam actionem supernaturalem; ergo creatura, ratione illius potentiæ, non est instrumentum Dei auctoris supernaturalis. Neque vero est instrumentum Dei auctoris naturæ, quia Deus, ut sic, non efficit supernaturales effectus; ergo nullo modo constituitur creatura in esse instrumenti divini per hanc potentiam.

6. *Quintum.* — Quinto, vel hæc potentia obedientialis est materialis, vel spiritualis; si spiritualis est, in rebus materialibus reperiri non potest, ut supra nos argumentabamur de qualitate superaddita; falsum ergo est hanc potentiam obedientialem esse communem omnibus entibus. Ex quo ulterius consequitur, nec Christi corpus, nec sacramenta materialia esse posse instrumenta ad efficiendam gratiam. Si autem hæc potentia dicatur de se esse indifferens ad immaterialem et materialem, ergo, ubi materialis est, non potest esse effectiva rei spiritualis, neque etiam poterit attingere spirituale subjectum.

7. *Sextum.* — Sexto, argumentari possumus, et fortasse difficilius, ex parte ipsius dependentiæ seu actionis, per quam gratia efficitur (et idem est de quolibet alio miraculoso opere, præsertim spirituali): omnis enim actio et dependentia, quatenus talis est, dicitur ex natura sua intrinsecam, essentialem et connaturalem habitudinem ad suum principium, seu ad potentiam a qua fluit; sed nulla potest esse actio productiva gratiæ, quæ ex natura sua dicat intrinsecam et essentialem habitudinem sibi connaturalem ad entitatem materialem, neque ad quæcumque entitatem naturalem; ergo neque, e contrario, potest in hujusmodi entitatibus esse potentia activa obedientialis respectu talis actionis. Major evidens est ex principiis metaphysicæ, et in superioribus sæpe hoc tactum est, et latius in 3 tomo hujus 3 partis, in materia de sacramentis in genere, et copiosius, magisque ex propriis, in disputationibus metaphysicis, quæ, Deo juvante, brevi in lucem prodibunt, dicitur. Et patet, nam actio, ut actio, includit intrinsece et essentialiter rationem actua-

lis dependentiæ effectus a causa; loquor enim proprie et in rigore de actione, prout in creaturis reperitur, ne quis sermonem misceat de processionibus divinis ad intra, quæ, sicut vere dependentiæ non sunt, ita nec proprie actiones dici debent, sed origines seu processionis. Loquor item de actione formaliter ac proprie transeunte, seu realiter procedente a suo principio, ne quis etiam misceat quæstionem illam, an creatio, vel quælibet productio immediate a Deo facta, sit actio formaliter transiens, necne. Denique, ut ab omnibus opinionibus abstraham, loquor de dependentia, qua unusquisque effectus seu terminus actionis pendet a sua causa efficiente; sive enim illa dependentia vocetur actio, sive passio, sive dependentia passiva, sive via ad terminum, negari non potest quin illa sit intrinsece vel identice in re quæ ab alia pendet, et simul dicat essentialem habitudinem ad principium, a quo pendet seu profluit. Unde fit ut talis habitudo sit prorsus immutabilis in tali dependentia, ita ut etiam in individuo non possit hæc numero dependentia conservari sine tali principio, quia alias oporteret unam dependentiam manere seu pendere a suo principio per aliam ex natura rei a se distinctam, quod est impossibile, alias in infinitum procederetur. Atque hinc etiam fit, in unaquaque dependentia, habitudinem ad suum principium esse illi connaturalem, et non posse esse supernaturalem, seu extrinsecam additam; agimus enim formaliter de ipsamet dependentia, et non de re quæ pendet; ab hac enim dependentia ex natura rei distinguitur, estque modus ejus; unde fit ut re, seu termino qui fit, possit aliqua dependentia esse supernaturalis, si res illa non fiat modo connaturali, sed supernaturali; tamen dependentiæ unicuique habitudo ad suum principium necessario esse debet connaturalis, quia est intrinseca essentiæ ejus, qualis in hujusmodi rebus et modis esse potest. In præsentia ergo, si gratia, verbi gratia, effective fit a carne, contactu, aut voce Christi, quamvis illi gratiæ præternaturalis sit ille modus effectiois, tamen illi actioni, per quam hic et nunc gratia fit, essentialis atque adeo connaturalis erit habitudo seu transcendentalis ordo ad potentiam obedientialem activam, quæ est in voce, vel in carne Christi, ita ut omnino repugnet hanc numero dependentiam manere sine ordine ad tale principium. Quod autem hoc sit impossibile (quæ erat minor subsumpta in principali argumen-

to), probatur, quia illa actio est spiritualis; ergo non potest dicere intrinsecum et connaturalem ordinem ad principium materiale, quia non habet cum illo proportionem connaturalem, quæ necessaria est, saltem ad connaturalem habitudinem. Quanquam enim gratis concedamus rem spirituales posse supernaturaliter habere dependentiam a principio materiali, tamen, quod hoc sit connaturale rei spirituali, et præsertim superioris ordinis, non videtur intelligibile; sicut, quod accidens spirituale supernaturaliter constitui possit in subjecto materiali, est fortasse non prorsus improbabile; tamen, quod ex natura sua spirituale accidens habeat connaturalem habitudinem, seu dependentiam a subjecto materiali, neque ullus unquam dixit, nec satis intelligi potest. Sed non est minor dependentia actionis a suo principio, nec minorem proportionem inter se requirunt; ergo fieri etiam non potest ut actio spiritualis habeat connaturalem habitudinem ad principium materiale, a quo pendet. Idemque proportionale argumentum fieri potest de actione supernaturali respectu cujuscunque naturalis entitatis. Hinc autem manifeste concluditur prima consequentia argumenti, scilicet, non esse possibilem talem potentiam activam in creaturis; quia, si non est possibilis actio, neque potentia est possibilis, cum potentia non sit nisi propter actionem; sed ostensum est esse impossibilem actionem respectu talis potentiæ, cum non possit esse sine connaturali habitudine ad illam, nec talis habitudo connaturalis sit possibilis; ergo etiam talis potentia impossibilis est.

8. *Septimum argumentum.* — Septimo argumentor, quia omnis potentia habet speciem aliquam a suo actu et objecto; nam, juxta principia Aristotelis, potentiæ ex actibus, et actus ex objectis speciem sumunt; sed in entitate materiali, vel mere naturali, non potest fingi aliqua species realis sumpta ex actione spirituali seu supernaturali; ergo nec potest fingi talis potentia activa, quæ in illa entitate intrinsece supponatur ante omnem Dei elevationem. Patet consequentia, quia talis potentia, si vera potentia est, debet habere aliquam speciem, quam consequenter accipiet a suo termino, vel actione. Minor autem probatur, tum quia res materialis, in se et ex se sumpta, non habet intrinsecam habitudinem ad actionem spirituales, nec res naturalis ad actionem supernaturalem, ut inde aliquam realem speciem sumat; tum etiam quia vel illa

species est ex natura rei distincta ab essentiali differentia specifica talis entitatis, vel non. Neutrum autem dici aut satis excogitari potest. Nam, si non est distincta, quomodo fieri potest ut in conceptu essentiali cujuscunque entitatis creatæ includatur habitudo ad talem actionem? Si vero est distincta, quomodo, vel quo fundamento fingi potest ab omni entitate manare talem proprietatem ab illa distinctam? Maxime quia, si illa est proprietas consequens essentiali entitatis creatæ, erit minoris perfectionis quam sit illa; quomodo ergo dicere poterit habitudinem ad actionem superioris ordinis? Addo denique nullum esse vestigium aut indicium distinctionis ex natura rei inter entitatem et hujusmodi potentiam. Nam, si ex natura rei distinguuntur, vel una est modus alterius, vel sunt res omnino distinctæ; non est enim alius modus distinctionis ex natura rei, ut in metaphysica ostenditur; sed hæc potentia non potest esse tantum modus, quia ratio modi est imperfecta, et nunquam constituit proprium principium agendi, sed, ad summum, esse solet conditio ad agendum, ut est interdum motus localis. Neque etiam potest esse res omnino distincta, quia neque est ullum fundamentum ad fingendam talem entitatem, neque satis potest mente concipi quæ vel qualis sit. Nec denique his modis verum erit quod dicitur, omnem entitatem creatam habere hanc potentiam obedientialem; nam, si hæc potentia est res distincta, separet illam Deus: quid enim repugnabit? aut ergo in alia entitate manet potentia obedientialis activa, et sic superflua est illa entitas; vel non manet, et sic non in omni entitate creata datur talis potentia obedientialis activa. Quod si per divinam potentiam potest conservari entitas sine tali potentia, nullum fundamentum relinquatur ad fingendam hujusmodi potentiam in qualibet entitate; nam in illa entitate sic conservata sunt omnia quæ movere possunt ad ponendam talem potentiam in omnibus entitatibus creatis.

9. *Octavum argumentum.* — Octavo, omnis potentia activa est proportionata illi cujus est potentia; ergo, si in rebus creatis est hæc potentia obedientialis activa, est proportionata illis; ergo sicut illæ finitæ sunt, ita hæc potentia erit finita in genere et ratione potentia; omnis autem potentia finita habet determinatum ac limitatum objectum, et certam ac finitam latitudinem actionum; ergo et hæc potentia obedientialis habebit finitum objec-

tum et actiones; hoc autem dici non potest, quia non est major ratio cur ad hos effectus et actiones extendatur potius quam ad alios; et ideo dicitur extendi ad omnia quæ non implicant contradictionem, quod plane includit quamdam infinitatem et illimitationem. Atque idem argumentum fieri potest ex parte subjectorum seu entitatum in quibus dicitur esse hæc potentia; nam, cum illa valde inæqualia sint in perfectione, incredibile est habere æqualem vim activam in hoc genere seu ordine; minusque verisimile videtur omnem entitatem, quantumvis imperfectam, etiam si naturaliter nihil agere possit, habere totam hanc vim activam obedientialem. Denique alias etiam de relationibus divinis posset dici quod, licet naturaliter non sint activæ, secundum id quod eis est proprium, nihilominus habent potentiam obedientialem activam, per quam possit una relatio aliquid efficere, quod non faciat aliæ.

10. *Proponuntur nonnulla principia recepta inter disputantes.* — *Actio supponit in causa vim agendi.* — Præsens controversia solum inter eos versatur, qui admittunt physicam et supernaturalem effectiorem instrumentorum Dei; nam, qui negant Christi humanitatem et sacramenta, et cætera hujusmodi, esse physica instrumenta, non est cur de potentia obedientiali activa sint solliciti; imo, quia talem potentiam non agnoscunt, ideo talem effectiorem negant, et consequenter loquuntur; sed de illo principio ac fundamento satis a nobis dictum est. Quo supposito, antequam satisfaciamus argumentis positiss, videamus necesse est quibus modis efficientiam physicam instrumentorum Dei in supernaturali gratiæ effectiione, et aliis miraculosis actionibus, absque hac potentia obedientiali activa tueantur hi Doctores, qui nobis in hoc contradicunt. Quod ut declaretur, nonnulla principia statuere oportet, in quibus necesse est ut nobiscum conveniant. Primum est nullam rem posse efficere sine virtute activa proportionata causalitati ejus, ita ut, si sit causa principalis et integra, habeat virtutem propriam activam, adæquatam effectui in suo genere; si vero sit causa partialis, habeat etiam virtutem partialem; si vero sit causa instrumentalis, habeat vim activam instrumentalem; ita ut actio, eo modo quo dicitur esse ab aliquo, supponat in illo vim agendi. Quod principium omnes Theologi tanquam per se notum in hac materia supponunt, ut videre licet in Paludano, Capreolo, Durando,

Scoto, et aliis, in 4, d. 1; et sumitur ex D. Thoma ibi, et hic, et infra, q. 62, et 1 p., q. 45, art. 5; et Cajet. his locis; et Ferr., 4 cont. Gent., cap. 64; et Alexand. Alen., 4 p., q. 8, memb. 3, art. 5, § 6; et videtur ex terminis evidens, quia actus secundus essentialiter supponit primum; sed actio comparatur ad causam agentem, tanquam actus secundus; supponit ergo in illa actum primum, qui est virtus vel potentia agendi. Major constat, quia actus primus et secundus sunt per se ordinati, et ideo alter est secundus, quia supponit priorem. Item, quia, si actus secundus sit per modum passionis vel informationis, necessario supponit potentiam patiendi, seu capacitatem recipiendi talem formam, sine qua impossibile est intelligere talem actum secundum in aliquo subjecto; ergo similiter, si actus secundus sit per modum actionis, necessario supponit actum primum, seu virtutem agendi, in eo a quo dicitur esse actio; quia etiam actio, ut actio, dicit essentialiter habitudinem ad talem actum primum, seu potentiam agendi. Tertio, nam ab actu ad potentiam (ut dialectici dicunt) necessaria est consecutio; ergo, si aliquid agit, potest etiam agere; non potest autem agere, nisi per vim agendi; ergo actio agentis in actu supponit in eo virtutem agendi. Quarto, quia, teste Aristotele, causa, ut causa, est prior, saltem natura, effectu et actione sua, quæ ab illa realiter manat; non est autem prior natura causa in actu secundo, quam sua actio, ut per se constat; quia per ipsam actionem formaliter constituitur in actu secundo, sive intrinsece, sive per extrinsecam tantum denominationem, juxta varias opiniones quæ ad præsens non referunt; ergo causa est prior natura actione in actu primo. Quinto, quia actio, ut actio, dicit transcendentalem habitudinem ad causam agentem, ut ad reale principium a quo fluit. Unde causa agens, licet habeat rationem principii, quatenus ab ea fluit effectus vel actio, tamen quatenus est id ad quod actio, ut actio, dicit immediatam habitudinem, vocari potest terminus ejus; ergo supponit in causa agente entitatem, formam, vel rationem aliquam, ad quam possit illa habitudo transcendentalis ipsius actionis terminari; quia non potest esse habitudo realis, nisi in termino supponatur id quod necessarium est ad terminandam illam habitudinem; in præsentem autem, quia hæc habitudo actionis est habitudo emanationis, seu dependentiæ realis a vera et propria causa reali,

supponit in ea aliquid reale, quo talem habitudinem seu dependentiam terminet; ergo supponit in ea realem virtutem agendi, quia virtus agendi nihil aliud est quam id, quo causa agens potest terminare dependentiam effectus ad ipsam. Sexto, potest hoc idem aliter explicari, quia effectum fieri nihil aliud est quam extra causas suas educi, seu constitui; ergo, antequam fiat, necessario supponitur contentus in virtute causarum; ergo a nulla causa fieri potest, nisi quatenus in ea aliquo modo virtute continebatur; ergo, si causatur efficienter ab aliquo, continetur in virtute effectiva illius, eo modo quo ab illo fit; ergo activa emanatio supponit semper virtutem producendi in causa, accommodatam causalitati ejus. Quod adeo constans fuit apud Theologos, ut etiam in divinis processionibus seu emanationibus ad intra, quamvis sine imperfectionibus causalitatis existant, et sine dependentia, imo sine reali emanatione ipsius originis activæ, sed tantum ipsius personæ productæ, nihilominus, quia illæ sunt veræ productiones reales, necessario ad illas requirunt potentiam producendi; et ita in Patre dicunt esse potentiam generandi; et in Patre et Filio potentiam spirandi. Est ergo hoc principium certissimum; et quamvis in illo, ut dixi, conveniamus omnes, illud tamen omnibus rationibus adductis confirmare et declarare volui, quia ex eo pendent omnia quæ dicenda sunt, et quia multi, qui verbis illud admittunt, postea in re ipsa longe ab illo distare videntur, ut ex dicendis patebit.

11. *Virtus instrumentalis in divinis instrumentis non est qualitas superaddita.* — Secundum principium est virtutem hanc instrumentalem, quæ necessaria est in instrumentis divinis, ut talia sunt, non esse qualitatem aliquam superadditam, verbi gratia, humanitati Christi, aut voci ejus, realiterque ab illis distinctam, quod in superiori sectione satis ostendi; et in tertio tomo de sacramentis, plura ad id confirmandum adducam, pauca tamen hic dicenda sunt. Loquor igitur de instrumento Dei ut instrumentum est, ut excludam infusionem supernaturalium habituum, seu virtutum quæ ad eliciendos supernaturales actus nobis dantur; nam illæ qualitates proprie non dantur ad efficiendum instrumentaliter, sed potius ad operandum connaturaliter, et per modum causæ proximæ principalis, saltem quatenus ipsi habitus infusi ad suos actus concurrunt; nam, quia illi actus sunt actus secundi vitalium potentiarum, non

repugnat illis quod possint infundi habitus ejusdem ordinis qui ad illos comparentur, ut principia connaturalia illorum, quod tamen repugnat respectu ipsius gratiæ et aliarum supernaturalium actionum seu miraculorum propter rationem supra traditam, sect. 4, ubi ostendimus humanitatem Christi non posse esse causam principalem gratiæ aut justificationis, et supernaturalium miraculorum, quia non potest ei infundi qualitas quæ sit principium principale talium effectuum; sine qualitate autem hujusmodi seu virtute addita, clarum est non posse constitui humanitatem in ratione principalis principii, cum certum sit, neque ex se habere talem virtutem, neque per solam unionem hypostaticam, formaliter ac præcise sumptam, fuisse illi communicatam, ut supra probatum est; quia sola unio, ut sic, solum dat humanitati quod sit conjuncta Verbo ut supposito; ex quo præcise nulla virtus physice operativa additur humanitati, sed solum habet quod in tali supposito sit principium operandi juxta naturalem, realem ac moralem perfectionem propriam talis naturæ, et cum morali dignitate, et valore consentaneo tali personæ.

12. Hic ergo non solum excludimus inane qualitatem, quæ sit principale principium horum effectuum, sed etiam instrumentalem vim, scilicet, quæ ex natura sua habeat hujusmodi virtutem connaturalem ac propriam instrumentaliter efficiendi hæc opera, ita ut ex natura sua in illa influat; talem enim qualitatem impossibilem esse existimo. In quo nonnulli ex prædictis auctoribus (mea sententia) non loquuntur consequenter; docent enim hanc qualitatem instrumentariam esse possibilem, et negant esse inditam humanitati Christi, quia, licet possibilis sit, non decet tamen creaturam illam habere; interrogo enim quænam sit hæc indecentia; aut enim hoc judicatur indecens, quia si hæc qualitas humanitati tribueretur, aliqua imperfectio, vel defectus aliquis in ea poneretur; vel e converso, quia nimia perfectio illa esset, et excedens dignitatem ejus. Primum nullo modo dici potest, quia illa qualitas esset in se valde perfecta, et non repugnaret cum qualibet alia perfectione, vel naturæ, vel gratiæ, vel scientiæ, vel potentiæ humanitatis Christi; non ergo posset humanitati defectum et imperfectionem afferre, sed magnam potius perfectionem et virtutem.

13. Secundum etiam non est consentaneum perfectioni vel dignitati Christi, et humanitati

ejus; tanta enim est dignitas illius humanitatis ratione unionis, ut non possit hoc ornamentum creatum, respectu illius, nimium vel excedens existimari. In quo enim potest poni hujusmodi excessus? Nunquid in eo quod videretur humanitas æquari divinitati in omnipotentia? Sed hoc nullius momenti est, quia instrumentaria et accidentaria virtus non potest cum principali ac substantiali comparari; imo, quamvis fingeretur qualitas quæ esset principalis virtus, non posset conferri cum virtute divinitatis, quia hæc est virtus per essentiam primaria et independens; illa vero esset participata, secundaria, et pendens ab influxu causæ primæ in omni actione sua. Et confirmatur primo, quia non excedit, imo est valde consentaneum dignitati Christi hominis, quod ad arbitrium voluntatis suæ, non tantum divinæ, sed etiam humanæ, possit homines sanctificare, et miracula facere; in quo non æquatur voluntas humana divinæ; quia semper est illi subordinata, eique conformatur; ergo neque excederet dignitatem ejus, quod reciperet hanc virtutem per qualitatem inditam, cui esset connaturalis talis modus agendi, si illa esset possibilis. Tandem confirmatur, quia prædicti auctores concedunt characterem sacerdotalem esse ex natura sua instrumentariam virtutem ad transubstantiationem efficiendam, et consequenter etiam ad remittenda peccata, et gratiam infundendam; et nihilominus non dedecet hanc qualitatem infundi creaturæ, et in ea permanere habitualiter ita subditam voluntati ejus, ut possit ea uti quando voluerit; cur ergo non decet qualitatem illam permanentem inditam esse humanitati Christi, si possibilis est?

14. Vera ergo ratio hujus rei est, quia talis qualitas, quæ natura sua hoc habeat, seu (quod idem est) cui talis modus agendi, et concursus, ex parte Dei necessarius ad tales effectus, ex propria natura ei debitus sit, est revera impossibilis. Quod de qualitate permanente habitualiter docuit D. Thomas 2. 2. quæst. 178, art. 1, ad 1; est autem eadem vel major ratio de qualitate solum transeunter data, ut supra ostensum est. Sunt autem qui exponunt D. Thomam ibi fuisse locutum de potentia ordinaria, non de absoluta. Sed hæc interpretatio in præsentem gratis conficta est, cum D. Thomas simpliciter dicat esse impossibile, et non loquatur de re aliqua, quæ per naturæ leges metienda sit, ut respectu illarum dici possit impossibilis. Intelligit ergo, omni modo, etiam supernaturaliter, id esse impos-

sibile. Et ratio, quam adducit, ad hoc etiam tendit, scilicet, quia divina omnipotentia nulli creaturæ communicari potest; de qua ratione non est hic dicendi locus; sensum tamen ejus esse existimo, ea, quæ sunt propria omnipotentiae Dei, quatenus infinitæ virtutis est, et supra totum ordinem naturæ creatæ, tam in suo esse, quam in sua virtute, dominio et potestate, non posse communicari creaturæ, ita ut ex vi suæ naturæ sit effectrix talium operum, sive principaliter sive instrumentaliter.

15. Aliam vero hujus rei causam, quæ mihi valde semper probatur, supra ego attuli ex doctrina ejusdem D. Thomæ in 1 p., q. 45, art. 5, scilicet, quia hæc virtus seu qualitas creata non potest habere actionem aliquam propriam et commensuratam suæ virtuti in ordine ad hos effectus; nullum autem instrumentum, quod ex natura sua institutum est et ordinatum ad aliquem effectum superiorem, concurrat ad illum, nisi aliqua prævia sibi accommodata et propria actione, et non excedente propriam perfectionem; et quoad hoc revera est demonstrativus discursus D. Thomæ in illo articulo, ut iterum attingam sect. seq. Explicari autem amplius potest utraque ex his rationibus, quia instrumentum connaturale semper dicitur habitudinem ad aliquod agens principale, quod non solum possit agere medio tali instrumento, sed etiam vel illo indigeat ad talem effectum, vel certe magis consentaneus sit naturis rerum, vel ex parte agentis, vel ex parte effectus, ut inductione ostendi potest, et per se se est maxime consentaneum rebus ipsis. Hoc autem in præsentem dici non potest, quia gratiæ, verbi gratia, maxime connaturale est fieri a solo Deo, nullo instrumento medio; et Deo ipsi hoc est maxime proprium et connaturale, neque ullo instrumento indiget; nulla ergo excogitari potest qualitas, quæ natura sua postulet, habere hujusmodi effectum vel actionem per modum instrumentariæ virtutis connaturalis.

16. Quod si qualitas infundi non potuit humanitati Christi, quæ hujusmodi virtutem haberet, convincitur nullam esse ponendam hujusmodi qualitatem, quia, si natura sua sit improporcionata ad talem actionem, imperfecta est ad rationem instrumenti, cum nullam virtutem agendi illi possit conferre. Ad hoc denique sermonem esse de qualitate, quæ sit virtus instrumentaria per modum actus primi necessarii ex parte ipsius instrumenti; quod dico, ut abstinenceam ab alia quæstione et opinione nove inventa, de qualitate nescio

qua, quam Deus, ut prima et universalis causa in omni ordine, dicitur imprimere omni causæ secundæ, tam principali quam instrumentali, ad agendum et concurrendum cum illa; nam etiam si demus licentiam fingendi hanc qualitatem (est enim revera conficta, ut in disputationibus metaphysicis latius ostendo), ad præsentem quæstionem nihil refert, quia illa qualitas vel entitas, quæcunque illa sit, non ponit in causa secunda principali vel instrumentali actum primum quo illa operatur est, sed supponit illum, præbetque illi motionem vel concursum ex parte causæ primæ necessarium, ut causa secunda agat; ad hunc enim finem ponitur illa qualitas ab his auctoribus, a quibus excogitata est; et ideo non solum in operibus gratiæ et miraculosis, sed etiam in operibus naturæ, illam necessariam esse existimant; nec solum in causis instrumentalibus, sed etiam in principalibus, quantumvis per proprias formas et virtutes sicut in actu primo plene ac perfecte in suo ordine constitutæ; quod, quam sit absurdum, et ex falsa intelligentia divini concursus profectum, prædicto loco, et in 1 p., late ostensum est. Nunc autem (quidquid de hoc sit) solum excludimus qualitatem per quam Christi humanitas in ratione instrumenti constituitur in actu primo, cui dandus sit divinus concursus, qualiscunque ille sit; et in hac qualitate neganda, nobiscum consentiunt prædicti auctores, quamvis fortasse in fundamento, et ratione excludendi illam, non consentiant.

17. *Virtus instrumentorum Dei non est physicus motus illis inditus.*—Tertium principium est, divina instrumenta formaliter et proprie non constitui in actu primo ad agendum instrumentaliter per motum aliquem physicum, ipsi instrumento superadditum. Dicunt quidem aliqui ex auctoribus contrariæ sententiæ, regulariter loquendo, non uti Deum Christi humanitate, aut alia creatura, ad supernaturalia opera, nisi prævio aliquo motu, vel operatione creaturæ, sive ille sit motus aliquis localis, sive contactus, sive locutio, sive aliqua operatio immanens, juxta doctrinam D. Thomæ infra, q. 62, art. 1, et 4, et 2. 2, q. 178, a. 1, ad 1, quam in eo sensu, quem ipsi etiam indicant, facile admittimus; non enim putant hunc motum ipsius instrumenti esse simpliciter necessarium ut ad physicam et supernaturalem efficientiam elevetur; hoc enim plane convincunt quæ in præcedente sectione contra secundam sententiam a nobis